

Disputatio medica inauguralis de cynanche tracheali : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit / Hugo Lang, Scotus, Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Ordinar.

Contributors

Lang, Hugh.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1799.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dj3e3b2w>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CYNANCHE TRACHEALI.

DISTRICT OF COLUMBIA

IN THE DISTRICT COURT

OF THE DISTRICT OF COLUMBIA

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO LANG,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. ORDINAR.


*“ Hic enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium
“ non profuit, æger extinguitur.”* CELS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

c



AVUNCULO CARISSIMO

HUGONI MORRIS, M. D.

EX

INSULA SANCTÆ CRUCIS,

UBI,

PER PLURIMOS ANNOS,

MEDICINAM PROSPERE

FECIT,

OPTIMO CUIQUE

CARUS ET ACCEPTUS,

NUPER

REDUCI,

QUI

PATRIE EUM MONUIT, PATRIE

AUXILIATUS EST,

HANC DISPUTATIONEM,

GRATO ANIMO

MOTUS,

D. D. C.QUE

HUGO LANG.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1800 S. MICHIGAN AVENUE

CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3200

1998

UNIVERSITY OF CHICAGO

1800 S. MICHIGAN AVENUE

CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3200

UNIVERSITY OF CHICAGO

1800 S. MICHIGAN AVENUE

CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3200

UNIVERSITY OF CHICAGO

1800 S. MICHIGAN AVENUE

CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3200

VIRO OPTIMO,

CAROLO KENNY, M. D.

QUI,

IN

INSULA SANCTÆ CRUCIS,

ARTEM MEDICINALEM

NUPER FAUSTE

EXERCEBAT,

PERTENUE HOC

OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

OFFERT

HUGO LANG.

Mr Burns with Complts
in his Obed^t Serv^t

The Author

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CYNANCHE TRACHEALI.

§ I. **M**ORBORUM, quibus infirmitate naturæ fragile genus hominum obnoxium est, licet nonnulli frequentiores sint, pauci tamen periculosiores sunt, aut citiùs vitam extinguunt, quàm is, de quo nobis consilium est pauca scribere. Nam, ineunte ætate, mortales invadit; quo tempore eorum corpora im-

becilla et infirma sunt, et ipsi haud rarò nesciunt, quid sibi sit rei, medicis dicere.

II. *Cynanche trachealis* unus e paucis morbis est, quorum causis, naturæ et curatjoni, hodierna medicina, quamvis a præclaris scriptorum ingeniis subtilissimè exculta, clariorem lucem nondum offudit.

III. Quanquam hic morbus, in quibusdam BRITANNIÆ partibus, haud infrequens est, tamen, quoad scimus, FRANCISCUS HOMIUS, materiæ medicæ in hac academia emeritus professor, omnium primus accuratè descripsit*.

IV. Nonnulli hinc contendunt, *cynanchen trachealem* novum esse morbum, qui, quinquaginta ferè abhinc annos, ortus est. Sed, cùm nobiscum consideremus, causas, unde oritur, semper

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry into the nature, cause and cure of the Group.*

semper extitisse, ad hanc sententiam accedere non possumus.

v. Quinetiam, id quod opinionem eorum, quibus videtur novum esse morbum, evertit, hæc *cynanche* a GREGORIO HORSTIO, qui, centum antè et octoginta ampliùs annos, florebat, obscurè designatur *. Eandem quoque, at obiter quasi et perfunctoriè, memorant TULPIUS, BOERHAVIUS, aliique. Verba BOERHAVII, nempe “vox acuta, clangosa, sibilans; inspiratio acutè dolens; respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine †,” certè alii nulli morbo conveniunt.

vi. Veteres medicos, itidemque ante HORSTIUM recentiores, *cynanchem trachealem* pro gravissimo *catarrho* habuisse, vero haud absimile

* Vid. GREGOR. HORST. Lib. III. *Observat.* 1. et 3.

† Vid. BOERHAV. *Aphorism.* 801.

mile videtur. Utcunque verò hoc sit, tamen satis constat, ex quo tempore scripsit hic auctor, medicos haud paucos præclaros eam notâsse; eique alia atque alia dixisse nomina, *anginam* nempe *polyposam* *, *catarrhum suffocativum* †, *suffocationem stridulam* ‡, *asthma infantum spasmodicum* ||, *cynanchen stridulam* §, aliaque multa, quæ memorare vix operæ pretium est.

VII. CULLENUS, SAUVAGESIO auctore, hunc morbum *cynanchen trachealem* nominat, atque sic nominatum sequentibus verbis definit; nimirum,

Cynanche

* Vid. MICHAEL.

† Vid. HILLAR.

‡ Vid. HOM. *Inquiry*, &c. Corol. I.

|| Vid. RUSH. *Dissertation*, LOND. M,DCC,LXX.

§ Vid. CRAUFORD. *Diss. Inaug.* EDIN. M,DCC,LXXI.

DE CYNANCHE TRACHEALI. 5

“ *Cynanche respiratione difficili, inspiratione
“ strepente, voce raucá, tussi clangosá, tumore
“ ferè nullo in faucibus apparente, deglutitione
“ parùm difficili et febre synocha*.”*

HISTORIA.

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.*
tom. II. gen. x. spec. III.

HISTORIA.

- viii. *Cynanche trachealis* plerumque, decedente æstate, aut ineunte vere, incipit; quibus temporibus, calor et frigus vices frequentissimè alternant, et corpora hominum aptiora sunt, quæ ex his vicibus detrimentum capiant. Iis, porrò, anni tempestatibus, quàm cæteris, frequentior *catarrhus* est; qui, profectò, morbus, in pueris et infantibus, haud rarò in *cynanchen trachealem* transit.

- ix. Etiam si hic morbus, in omnibus orbis terrarum partibus, accidere possit, ubi tempestatibus varietates frequentes et subitanæ sunt; tamen multo plures, in frigidis regionibus, adoritur et rapit, quàm in calidis. In his verò, ut accipimus, non ex toto ignotus est*.

x. Non-

* Vid. HILLAR. *Observat.* pag. 134.

x. Nonnunquam, uti certiores nos facit BURSERIUS, auctor clarus et satis fidus, quasi pestilentia, grassatur. Attamen, nostrâ opinione, non est, quare utique pestilentem esse credamus. Enimvero, non videtur magis contagione vulgari, quàm *rheumatismus* et *pneumonia*, quos morbos nemo quisquam pestilentes esse credit.

xi. Nondum satis constat, an, uti quidam putaverunt, proclivitas in *cynanchen trachealem* sit hæreditaria. Ita esse, nonnulli inducti idcirco sunt, ut crederent, quòd complures haud rarò ejusdem familiæ infantes vel pueros simul adoritur et absumit, dum aliarum familiarum in vicinia viventium tenera proles ejus impetum nunquam patitur. Ita haud rarò esse, concedimus: veruntamen, uti nobis videtur, verisimillimum est, complures ejusdem familiæ infantes puerosve hoc morbo corripì, non tam ex hæreditaria proclivitate omnium communi,
quàm

quàm ex communitate vitæ, victûs, vestitûs, aliarumque rerum, quibus eorum corpora apta, præ cæteris, reddantur, quæ hic morbus corripit.

XII. Per paucos antè dies, quàm *cynanche trachealis* accedit, futurus æger, ex alacri atque læto, est, pro ætate, iners atque tristis; ex placido, irritabilis; ex novarum rerum studioso, novitatis negligens; ex ludibundo, ludi impatiens atque ludentium.

XIII. *Cynanche trachealis*, primo interdum adventu, *catarrhum*, per omnia, adeò simulat, ut neque parentibus afferat metum, neque medicis. Mala, quibus æger premitur, sunt, tussicula sicca, capitis dolor atque gravedo, et oculorum rubor.

XIV. Aliàs autem signa, quæ huic morbo propria sunt, ab initio observantur; magna, scilicet,

scilicet, spirandi difficultas; tussis molestissima et ferme perpetua, necnon etiam clangens; tam animæ, quàm vocis asperitas: quæ, cùm acciderint, verbis significantiùs indicant, nullam moram interponendam; consulto et maturè factò opus esse; brevi enim citam mortem venturam, aut lætam victoriam.

xv. Utrocunque modo incipiat hic morbus, haud multò pòst, facies rubore suffunditur: accenditur vehemens sitis: incalescit summà cutis: lingua initio albida, subfusca fit: graviter plerumque dolet caput: arteriæ celerrimè et vehementer agitantur: atque, ne multis, cætera omnia ferè signa ardentis febris se manifestant.

xvi. Cùm jam *cynanche trachealis* eò increvit, spirandi difficultas multùm ingravescit; præcipuè inter somnum, ubi, quàm dum vigil æger est, astantibus magis observabilis. Æger

plerumque ex somno subinde timet, anxietate et præcordiorum gravitate oppressus. Spiritum simul trahit strepente sonitu; qui, semel auditus, facîle postea agnoscitur, quemque medici, neque sanè ineptè, ei assimilant, quem aër per tubum metallicum irruens, vel gallus cantans, vel canis ganniens edere solet*.

XVII. Hæc (XVI.) signa comitatur tussis stridula; quæ, incertis periodis, æquali autem gravitate, revertitur, atque ægri corpus vehementer agitat. Eodem ferè tempore, oculi sanguine suffunduntur, et solito magis prominent. Tremores omnium musculorum identidem accidunt; quibus finitis, æger, raptis in motus derepentè musculis, animam enixissimè reciprocatur.

XVIII.

* Vid. CULLEN. *First Lines*.

xviii. Quando eò processum est, nihil ferme mucì ex pectore extussitur, sed tenuis nonnunquam pituita destillat de naribus. *Larynx* leni pressu dolet, atque, ex antica parte, haud rarò intumescit*.

xix. Sanguinis, ex vena missi et frigescentis, gluten a cæteris partibus constituentibus sese dissociat, et, summo supernatans, membranam ex corio repræsentat. Nihil ferme respirat arida cutis. Urina parcior solito est, atque, initio, subrubra; sed, sub finem, est colore ferè naturalis, et plerumque albidum sedimentum deponit †. Atque, quod mirum, æger, ferme ad ultimum, suæ mentis est, devorandique potens.

xx. Signa,

* Vid. HOM. et RUSH. et MICHAEL.

* Vid. HOM. *Inquiry*, &c. pag. 47.

xx. Signa, quæ memoravimus, interdum subsequuntur alia periculosiora ; et, ni ægro, sine mora, subveniat medicina, morbus, qui, paucas antè horas, nullum ferme periculum minitabatur, brevi fit insanabilis, atque misero mortem properat.

xxi. Spiritus, antea difficilis, nunc multo operosior fit, at minùs creber. Præ meatûs angustia et ariditate, æger, inter spiritum in pulmones hauriendum, sonum strepentem edit, perinde ac si, per tubum metallicum, aridâ spongiâ ferè ex toto oppletum, spiritum hauriret. Spiritum, ex difficili, et humeris sublatis, in pulmones trahit, vicissimque hinc elidit potiùs, quàm more, quo sanus homo, emittit.

xxii. Eodem ferè (xxi.) tempore, musculi, circa fauces, vehementibus frequenter spasmis contrahuntur ; qui, si paulisper remittant,

mittant, pòst paulò in graviores denuo contractiones musculos rapiunt. Arteriæ imbecilliter adeò, frequenter, et inordinatè moventur, ut in carpo earum motus ab explorante medico vix possint percipi, vix numerari.

XXIII. Summam simul cutem permanat copiosus et lentus sudor, dum extremæ membrorum partes frigent. Oculi languidi fiunt, et in orbitas recedunt. Livescit facies; livescunt labia: vires fugiunt: non tussit æger: fuit: jacet.

XXIV. Interdum verò, postquam graviora signa supervenerint, *cynanche* tamen *trachealis* ad sanitatem pervenit. Membrana spuria, quæ fit ex effusa *lymphæ* sanguinis, et, primùm ut facta, ægrum in extremum discrimen adducit aëris meatum opplendo aut coangustando,

tanta

tanta tussiendi ciet molimina, ut ipsa extus-
siatur.

xxv. “Non rarò,” inquit MICHAELIS, “ac-
“ cidit, ut naturæ beneficio, non solùm ma-
“ teries alba, tenax, caseosa, copiosissima, sed
“ et concreciones cavæ, tubuliformes, mem-
“ branaceæ, quæ figuram asperæ arteriæ et
“ bronchiorum perfectè imitantur, tussis ope
“ rejiciantur. Post illam, qua respiratio
“ maximè sublevari solet, excretionem, om-
“ nia in melius mutata videntur; nec rarò,
“ si totus ejectus fuerit tubulus membran-
“ aceus, vel magna certè ejus portio, æger, ex
“ orci faucibus ereptus, pristinæ sanitati re-
“ stituitur*”.

xxvi. Si verò multa pars membranæ in ani-
mæ meatu remanet, æger, disruptis partibus
extussitis,

* Vid. MICHAEL. pag. 12.

extussitis, tantùm malorum intercapedine fruitur, futurorum fortèque graviorum non liberatur periculo. Relicta enim pars, novâ materiâ ei adhærente, se omnem in partem extendit, et brevi non asperam solùm arteriam, sed pulmonum quoque fistulas denuo coangustat aut opplet. Nisi igitur integram aut disruptam magno molimine extussiat æger, sed sanè, quod, præ debilitate, non potest, neque longo tempore, animæ meatui prorsus sufficit, vitæque flammam extinguit.

xxvii. *Cynanche trachealis* nunquam, quòd dicimus, in suppurationem transit, nedum in gangrænam.

xxviii. Internis faucibus inspectis, nihil sanè apparet, unde causam tot et tantorum malorum possimus prænoscere. Interdum quidem tonsillæ paululùm tument: aliàs autem

tem

tem rubent tantùm, et, pariter atque lingua, mucò oblinuntur. Nulla ferme devorandi difficultas est.

XXIX. Certo haudquaquam tempore finitur morbus, quem persequimur. Rarissimè ultra unam hebdomadam protrahitur. Interdum autem, sicuti a medicis, fidis in primis, accipimus, dies quatuordecim, imò duodeviginti*, cursu implet. Quo gravior est, eo certè citiùs in alterutrum finem properat. Testatur DISNEIUS ALEXANDER, bis duodecim horis ægro interdum afferre mortem †.

XXX. *Cynanche trachealis* infantes et pueros tam in maritimis oris adoritur, quàm in mediterraneis regionibus: in illis verò sæpius;

* Vid. MICHAEL. pag. 14.

† Vid. DISN. ALEXAND. *On the Croup*, p. 18.

pius ; sed, utrùm ex salibus, quibus imbuitur aër marinus, ut quibusdam medicis videtur, necne, confidenter affirmare non possumus. Hoc verò certò cognovimus, nonnunquam infantes, viginti millia passuum a mari, afficere.

xxxI. Morbus, de quo scribimus, rarò infantes lactentes adoritur ; rarò pueros, qui decimum ætatis annum duodecimumve complêrunt. Interdum verò, adultâ * ætate et virili †, eos invadit, qui, dum infantilem aut puerilem agebant, eo laboraverant.

C

CADA-

* Vid. *Medic. Comment.* vol. viii. pag. 338.

† Aud. GREGOR. *Prælect. de Med. Pract.*

CADAVERUM INSPECTIO.

xxxii. Cadaveribus eorum, quos abstulit *cyananche trachealis*, ferro patefactis, inspicientium oculis se offert materia sufflava, mollis, tubulata; quæ aliàs superiorem tantùm partem asperæ arteriæ intrinsecùs investit; aliàs hanc totam, etiamque fistulas pulmonum. Hæc materia, ei haud absimilis est, quæ in cavis inflammatis, post mortem, ab inspicientibus observatur.

xxxiii. Hæc (xxxii.) materia multùm variat spissitate. Aliàs tenacem mucum simulat, aliàs densam et tenacem membranam; prout, forsitan, morbi fuerint vis et diurnitas.

xxxiv. Membrana, ex tenace materia formata, inæqualiter crassa est. Nunc enim per tenuis est; nunc crassa adeò, ut cùm asperæ arteriæ, tum pulmonum fistulis, ferè ex toto, officiat. Vasorum prorsùs expers est. Plerumque est colore albida; at nonnunquam tamen subfusca seu subnigra, et etiam maculis interdum variata.

xxxv. Inter hanc membranam, et internam asperæ arteriæ *bronchiorumque* tunicam, ex qua facillimè separari potest, quippe cùm sibi invicem non adhæreant, non *lympha* modò sanguinis, sed etiam mucus, imò et cruor, in mistura quadam, at discreta tamen, interdum conspicua sunt. Interna asperæ arteriæ, haud rarò etiam *bronchiorum* tunica, inflammationis quidem vestigia ostendit, sed nunquam, quantum scimus, exulcerata conspicitur.

xxxvi. Eorum,

xxxvi. Eorum, quos *cynanche trachealis* abstulit, externum corpus perinde apparet, tanquam strangulatione extincta vita fuisset. Livent facies atque labia; et oculi tument, atque sanguine suffunduntur. Neque profectò mirum; cùm præsertim, ut nunc satè constat, hoc morbo correptis, pariter atque submersis ac strangulatis, color lividus et mors, ex sanguine non, dum pulmones transit, in coccineum seu vitalem converso, accidant.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

XXXVII. Hic morbus, pariter atque alii, qui inflammationem habent, sæpissime excitatur frigore summo corpori admoto. Quin ita sit, dubitari vix potest, quum sæpe iisdem initio signis, quibus *catarrhus*, cognoscatur, atque iis anni tempestatibus, præ cæteris, infantes puerosve adoriatur, ubi caloris ac frigoris vicissitudines frequentes et subitæ sunt. Frigus verò ad hunc morbum excitandum plùs polebit, si corpori utcunque calefacto admoveatur, simulque humor adjuvet. Hinc apparet, quare nimiâ exercitatione et JovE pluvioso infantes atque pueri aptiores sint, qui, frigori expositi, in eum incidant.

XXXVIII. Præter' frigus cum humore calefacto corpori admotum, haud scio annon etiam
aliæ

aliæ quædam causæ ad *cynanchen trachealem* concitandam conferant; piscium, nempe, ossicula faucibus inhærentia, atque acres fumi et pulveres.

xxxix. Neque verò explicatu difficile est, quemadmodum frigus, summo corpori admotum, *cynanchen trachealem* excitet. Frigore enim et humore sanguis a summo corpore avertitur, neque cutis tantum perspirat, quantum ad prosperam valetudinem necessarium est. Quo autem minus sanguinis in summum corpus distribuitur, eo plus necesse est in partes quasdam internas, at, præ aliis corporis proprietatibus nondum satis intellectis, in aliis alias, plerumque tamen tunicas alvi aut animæ itineris, derivetur, et easdem irretet derivatum: qua irritatione fit, ut illa via diarrhœâ modò, modò *enteritide* afficiatur; hæc, nunc *catarrho*, nunc *cynanche tracheali*.

XL. In quò proclivitas in *cynanchen trachealem* consistat, nondum certò sciunt medici. Non solùm enim floridos et plenos adori-
tur, qui, pro annis, vegeti sunt et præcoces,
sed etiam imbecillos et pituitosos. Illi verò,
ut observârunt medici, præ cæteris, apti sunt,
qui corripiantur, et in majore periculo versan-
tur correpti. Naturâ imbecilliores et valetu-
dine infirmiores, si quando in hunc morbum
incidant, leviora plerumque mala patiuntur,
rariùsque intereunt *.

XLI. Observatum quoque a medicis est, quæ-
cunque vasa animæ canalis quomodocunque
debilitant, procliviores in *cynanchen trachealem*
infantes et pueros facere. Hujus generis sunt,
non solùm gravis exercitatio totius corporis,
verùm etiam exercitationes quædam, quibus
hæc vasa præcipuè afficiuntur; vagitus, nem-
pe,

* Aud. GREGOR. Prælect. De Medicin. Pract.

pe, vociferatio, cantatio, fistularum musicalium inflatio. Idem faciunt morbi quidam, nimirum *pertussis*, *asthma*, *catarrhus*; quibus accedant *variola* et *rubeola*.

XLII. Proclivitas in hunc morbum, quæcunque sit, consuetudine invalescit. Namque, uti observârunt medici, infantes et pueri, qui semel correpti bisve sunt, aptiores fiunt, qui eodem denuo corripiantur. Hinc apparet, quàm iis necessarium sit, excitantes causas cautissimè vitare.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

XLIII. De proxima hujus morbi, pariter ac aliorum, causa, multùm inter se dissentiunt auctores. Neque, profectò, hoc mirum est; cùm præsertim per *proximam* omnes medici non idem intelligant, et sic, dum putant, se de re disputare, tantùm moveant controversiam de verbo.

XLIV. Verùm, etiamsi, de proxima hujus morbi causa, inter auctores dissideatur, tres tamen omnino opiniones sunt; atque medici, prout una aliave opinio iis vero propior videatur, in tres partes dividuntur. Namque una pars medicorum, Homio auctore, censet, proximam *cynanches trachealis* causam, esse

spuriam membranam internæ asperæ arteriæ, itemque sæpe fistulis pulmonum, obductam; alia, SIMPSONEM, RUSHIUM, et MILLARIUM auctores habens, contendit, esse spasmus musculorum *laryngis*; alia, denique, consentit cum CULLENO, esse internæ animæ canalis tunicæ inflammationem.

XLV. CULLENO, hac de re, propterea accedimus, quòd pleraque ex signis, quibus cognoscitur *cynanche trachealis*, ea sunt, quæ, uti sciunt medici, ex inflammatione oriantur: quòd hic morbus, iis plerumque anni temporibus, frequens est, ubi in morbos, qui inflammationem habent, mortales incidunt: quòd morbida, quæ, patefactis cadaveribus, inspicientium oculis obveniunt, talia sunt, qualia ex aliarum quarundam partium inflammatione enasci medici cognoverunt: quòd ratio, qua hic morbus optimè ad sanitatem perducitur, eadem, ferè per omnia, est, atque ea, qua morbi,

bi, certè inflammationem habentes, efficacissimè sanantur: quòd infantes puerosve plenos, ac naturâ et valetudine firmos, præ infirmioribus, invadit: quòd membrana spuria, quam HOMIANI proximam causam esse contendunt, non semper, post mortem, in animæ itinere, ab inspicientibus deprehenditur, et, licèt existat, signum, at nequaquam communis omnium signorum causa, habenda: quòdque, id sanè quod RUSHIANORUM opinionem labefactat, imò prorsùs evertit, medicamenta, ex iis quæ spasmum solvunt, hoc morbo ægris nihil proficiunt; nisi post adhibita medicamenta et remedia, quæ valeant ad reprimendam inflammationem, atque sputum eorum ex pectore movendum, quæ in aspera arteria et pulmonum fistulis, contra consuetudinem, contineantur, et spiritui officiant.

P R O G N O S I S.

- XLVI. *Cynanche trachealis*, nisi maturissimè subveniatur, periculosissimus sanè morbus est. Namque, præterquam quòd partes afficit, quarum prospera valetudo et functiones ad incolunitatem totius corporis necessaria sunt, haud rarò insidiosissimè obrepit, et inobservata increscit eò gravitatis, ut æger in extremum priùs discrimen adducatur, quàm advocari potest medicus, aut etiam advenire advocatus. Infantes, porrò, nonnunquam duntaxat unum alterumve annum natos, incursat; qui nesciunt medico, quid sibi sit rei, accuratè significare, et, in quanto periculo versentur, inscientes, oblata medicamenta et remedia adhibere recusant.

XLVII. Hic tamen morbus, si tempestivè succurratur, plerumque sanari potest. Sin unum duntaxat diem neglectus, quàm graviora signa se manifestârunt, ægrum plerumque tollit. Imò, si, dum magna vis morbi urgeat, mora, vel per quinque sexve horas, injiciatur, quò minùs medicina subveniat, vix ullam licet sperare salutem. FERRIAR enim, cui, ut certiores nos facit, haud rarò accidit, ut, ineunte die, ab iis arcesseretur, qui, hesterno vespere, graviter ægrotare inceperant, non ampliùs unum optatum ad finem perduxit*.

XLVIII. Verùm, non solùm quamdiu hic morbus continuaverit, medico considerandum est, sed etiam quæ quantaque mala urgeant. Sine enim horum notitia, qualem in finem perveniat morbus, percunctantibus ægri amicis præ sagire nequit.

* Vid. FERRIAR. *Med. Hist. and Reflect.* vol. iii.

XLIX. Quo magis, inter spiritum in pulmones hauriendum, æger strepit, et quo vehementiùs febrít, in eo majore discrimine vertitur. Mali etiam morbi testimonium est, si, præ spirandi difficultate, facies turgidissima est, et colore plumbea. Periculosissimum est, continuâ vigiliâ, anxietate magnâ, et intolerandâ ferè præcordiorum gravitate premi. Vix excreare, pessimum est. Ægrum, qui modò excreare et extussire poterat, debilitate non diutiùs posse, in propinquo mortem esse ostendit.

L. Contrà, non terreri debent medici, si idoneis medicamentis tempestivè datis spiritus facilius fiat; minor cùm animæ tum vocis asperitas; tussis rarior, mollior et humidior: si, sine magno molimine, extussiatur magna vis albidum humoris mucosi, vel, quod adhuc magis optandum, spurie membranæ. Pulsus quoque

que arteriarum, ex tempeſtiva medicina molli-
ores atque tardiores, ſecuritatem pollicentur.
Licet, denique, ſcire, ægrum non periclitari,
ſi, ſignis omnibus remittentibus, redeant appe-
titus et ſomnus.

DIAG.

DIAGNOSIS.

LI. Signa, quibus definitur *cynanche trachealis*, inhalatio, nempe, strepens, vocis raucitas, et tussis clangor, ei adeò propria sunt, ut rarissimè, inter eam et alios morbos, tanta signorum similitudo sit, quanta trahat medicum in errorem.

LII. Interdum tamen, an *cynanche tracheali* laboret æger, discernere haud ita facile est. Nonnunquam enim hoc morbo ægrotus signis modò (LI.) dictis non afficitur*. Aliàs hæc non priùs apparent, quàm morbus ferme ad finem pervenit. Aliquando etiam hæc angina, simul cum angina tonsillarum, aut maligna, existit.

* Vid. HOM. et TULP.

existit* sic, ut, uter morborum primarius sit, haud facilè discernat medicus.

LIII. Morbi verò, quibus est, cum *cynanche tracheali*, quorundam signorum communitas, sunt *catarrhus*, *pertussis*, *cynanche maligna*, et *asthma*. De his igitur deinceps, pauca dicenda sunt.

LIV. *CATARRHUS*.—*Cynanche trachealis*, initio, nonnunquam *catarrhum* adeò simulat, ut cognitu difficile sit, utro morborum æger laboret. Verùm, haud ita multò pòst, nulla apud medicum dubitatio relinquitur, uter morborum urgeat. Incrementes enim morbi propriis signis, suis uterque, cognoscuntur. Namque *cynanche trachealis* inhalatione strepente, clangente tussi, et mirâ vocis asperitate insignitur, necnon etiam facie perquam tumi-

E dâ,

* Vid. SWIETEN. *Comment.*

dâ, atque colore plumbeâ ; quæ sanè signa *catarrbus* nunquam, vel saltem rarissimè, ostendit.

LV. *PERTUSSIS*—et *cynanche trachealis*, nisi quòd ætate teneros ferè solos adoriuntur, inter se prorsùs discordant. Ille enim morbus ex tabo pestilente oritur ; contactu, et ministeriis in vicem, vulgatur ; intermittit, atque inter accessiones, quæ breves sunt, et inæqualibus temporibus redeunt, intervenit integritas : quibus sanè omnibus ab hoc distinguitur. In illo, porrò, morborum, tussis convulsis musculis abdominis fit, et suffocationis sensum movet ; atque, intermittente paulisper tussi, æger spiritum, nullis ferè remissionibus interpositis, pleno sonitu iteratò haurit : quæ quidam signa huic morborum, cum illo, non communia sunt.

LVI. *CYNANCHE MALIGNA*—*cynanchen* nonnunquam *trachealem* comitem habet. Verùm enimvero, uter morborum alterius parens sit, medicus, ex facili, discernet, si modò animadvertat, quibus malis æger prematur. Febris enim *typhodes*; mala faucium ulcera, livida aut nigricantia; halitus fœtidus; summum corpus papulis, secundo ab adversæ valetudinis initio die, efflorescens; plùs satìs ostendunt, *cynanchen malignam* parentem esse morbum. Vix, nostrâ opinione, audiendus RUSHIUS est, ubi dicit, vel inter *cynanchen trachealem*, summum interdum corpus papulis rubris efflorescere*; alii enim medicorum nulli, quantùm scimus, contigit, tale quid conspicere.

LVII. *ASTHMA*,—contrà atque *cynanche trachealis*, intermittens morbus est, inter cujus
accessiones,

* Vid. RUSH. *Med. Inquiries*, pag. 144.

accessiones, quæ incertis periodis revertuntur, integritas, eaque sæpe longa, intervenit; atque provec̄tos ætate, præ teneris, incursat. Quinetiam, per ejus accessiones, æger, contrà ac *cynanche tracheali* laborans, non thoracis modò perquam coangustati sensum habet, et sibilo strepente animam reciprocatur, sed tussiendi quoque prorsùs, vel saltem ferè prorsùs, impotens est.

CURA.

C U R A T I O.

LVIII. Nullus ferè morborum est, ad quem sanandum cùm consulto tum festinato magis opus est, quàm is, de quo scribimus. Nullus ferè tamen morbus est, qui, si tempestivè succurratur, sæpiùs et certiùs ad sanitatem perducitur. Sin mora injicitur, eò brevi gravitatis procedit, uti medicina nihil prorsùs valeat.

LIX. Medicum, cujus sit *cynanchen trachealem* curare, oportet, si corium spurium nondum formatum sit, inflammationem quamprimum discutere, ne formetur; sin, sive ægri amicorum inconsiderantiâ, sive medici-

næ impotentiâ, effusa sanguinis *lympba* in corium jam concreverit, hujus ex pectore sputum movere, ne spiritui officiat, et ægrum suffocet.

PRIMUM

PRIMUM CONSILIUM.

LX. *SANGUINIS MISSIO.*—Primo (LIX.) consilio, ante omnia, mittendus sanguis est; quippe quo nihil, ad inflammationem reprimendam, et futurum morbi periculum præcavendum, plus polleat.

LXI. Hunc in finem, tantum sanguinis detrahi debet, quantum vis morbi desideret, et ægri vires pati posse videantur. Non equidem ignoro, solitum esse FERRIAREM, ex iis, ad quos tempestivè advocatus est, quosque morti eripere posse speravit, sanguinem elicere, dum in eo essent, ut ab animo dereliquerentur*. Sed, nostrâ opinione, sanguis
ex

* Vid. FERRIAR. *Med. Hist. and Reflect.*, vol. iii.

ex infantibus puerisque, seu naturâ seu valetudine seu utrisque infirmis, malè usque eò mittitur: emoritur enim vis, si qua supererat, hoc modo erepta; et periculum est, ut, vi ereptâ, æger reliquum morbum ferre, et humorem, si quis effundatur, coriumve hinc factum, extussire possit.

LXII. In *cynanche tracheali*, mitti sanguis debet, quum totius corporis causâ sit, ex brachio, ut copia, quantam morbus requirat, brevi pleno rivo dematur. Quòd si, uti in infantibus paucos annos natis, brachii venam feriendo sanguinem emittere difficillimum est, tutò elici potest octo haud minùs decemve hirudinibus ex faucibus externis.

LXIII. Si, post sanguinem utrocinque (LXII.) modo detractum, spiritus facilius fiat, pulsus plenior et mollior, at quædam tamen febris et inflammationis reliquiæ manent,

ant, sanguis iterum mitti debet ; et, si ne tum quidem conquiescant febris et inflammatio, fortè iterum*. Post verò corium spurium formatum, sanguinem detrahare perniciosissimum est : cum eo enim vires, quibus pepercit morbus, effugiunt, atque æger, sic factus excreandi impotens, brevi suffocatur.

LXIV. *EXULCERATIO*.—Post missum sanguinem, exulceratoria debent externis faucibus imponi ; utpote quæ, seu materiam ex corpore demendo, seu sanguinem ex vasis asperæ arteriæ eliciendo in summum corpus, seu alio quodam modo, inflammationem minuant vel discutiant. Ne verò ex cantharidibus æger detrimentum capiat, unguenti paucillum vulneribus, si qua infixerint hirudines, inserere debet medicus ; vel, quod forsitan satius est,

F sindonem

* Vid. MACBRID. *Practice* pag. 268.

sindonem interponere inter cuticulam et emplastrum.

LXV. Nonnulli medicorum exulcerationi propterea objiciunt, quòd in citatiores motus cor et arterias instimulat. Verùm ad sententiam eorum accedimus, qui existimant, materiam ex corpore demendo, et sanguinem ex inflammata parte extrorsum derivando, plùs prodesse, quàm stimulando nocere.

LXVI. *VOMITIO*.—Vomitoria quoque, opportunè assumpta, multùm ad inflammationem digerendam valent. Namque vomitio, corpus agitando, sanguinem quoquoersum æqualiter distribuit, atque sic derivat a parte inflammata.

LXVII. Hunc in (LXVI.) finem, leniora vomitoria assumi debent, præcipuè *ipecacuanæ*
pulvis

pulvis. Paulò post hunc pulverem assumptum, utile erit aquam bibere, in qua cocti chamæmeli flores sint, quò vomitus faciliior sit et copiosior.

LXVIII. Vomitum verò plùs semel movere vix licet, imò vix tutum est. Etenim non stomachum modò debilitat, verùm cæterum quoque corpus, et sic multimodis nocet.

LXIX. *PURGATIO.*—Medicamenta item, ex iis quæ alvum evacuant, utilia sunt, uti periculo compertum est, ad reprimendam inflammationem, de qua dicimus. Superquam enim quòd copiam humorum ex corpore demunt, et alvum ab acribus liberant, atque duobus his modis nimios cordis et arteriarum motus temperant; sanguinem a superioribus corporis partibus ad inferiores eliciunt, id quod ad illarum inflam-

inflammationem digerendam efficacissimum est.

LXX. Hoc (LXIX.) consilio, medici, RUSHIO auctore, *muriati hydrargyri dulci* primas concedunt. Non plùs, putat hic auctòr, ad febrem intermittentem curandam potest *cinchonæ* cortex, quàm ad *cynanchen trachealem* discutiendam pollet *urias hydrargyri dulcis*. Quò verò hic optatò respondeat, copiâ assumi debet, quanta alvum brevi acriterque moveat.

LXXI. *RUBEFACIENTIA*—etiam medicamentis annumeranda sunt, quibus inflammatio asperæ arteriæ discutiatur. Externo enim collo admota, calorem et inflammationem movent, et sic sanguinem ex inflammatis vasis asperæ arteriæ extrorsum eliciunt.

LXXII. Optimum verò medicamentum, quod externum collum rubefaciat, *oleum ammoniatum* est, ex duabus olei olivarum partibus, et unâ *aquæ ammoniatæ* compositum, et quartâ quaque quintâve horâ novatum.

SECUN-

SECUNDUM CONSILIUM.

LXXIII. *VOMITORIA*,—secundo quoque (LIX.) consilio, adhiberi solent. Multùm sanè pol-
lent ad sputum ex pectore movendum. Opor-
tet tamen medicum, antè considerare, quàm
assumenda curat, quæ ægro supersint vires, et
quæ sit vis morbi. Si enim illæ jam, ferè
emortuæ sint, vel æger maximâ spirandi dif-
ficultate prematur, periculum erit, ne vomèn-
di nisibus accidat suffocatio.

LXXIV. *VAPORES AQUÆ CALIDÆ*,—ut bene ait
GREGORIUS, “ cum spiritu in pulmonem haus-
“ ti, hunc fovent, humectant, molliunt, lax-
“ ant, *spasnum*, siquis adsit, solvunt, exha-
“ lationem et mucii secretionem promovent,
“ hunc

“ hunc quoque diluunt et attenuant, ejusque
 “ sic exscreationem promptiorem et facilio-
 “ rem reddunt, et demum bonum remedium
 “ *expectorans* fiunt *.”

LXXV. Vapores aquæ calidæ in pulmones trahi possunt ministrâ machinâ, quam, ex inventore, *Mudgianam* medici nominaverunt. Quum verò, vapores hujus machinæ ope inhalare, haud ita facile sit, WITHERINGIUS proponit aliam et faciliorem inhalandi rationem. Ægris præcipit, ut in calidam aquam tantum calcis vivæ indant, quantum fervefaciat, atque ascendentes vapores, per idoneum tubum, ore accipiant †.

LXXVI.

* Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* tom. ii. pag. 424.

† Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine* in annum M,DCC,XCVIII, pag. 451.

LXXVI. *SPASMUM SOLVENTIA*.—Medicamenta, necnon, et remedia, ex iis quæ spasmum solvunt, *cynanche tracheali* ægrotis dari solent; ut hi spuriam membranam, et humores inter eam et asperæ arteriæ tunicam collectos, faciliùs extussiant.

LXXVII. Hujus generis sunt, opium, balneum, *pediluvium*, fots pedum crurumque. Hæc omnia somnum conciliant, et tussim, ad tempus, sedant aut mitigant, sic ut æger, viribus requiete conceptis, extussiendi potentior fiat. Cætera hujus generis, quippe cùm nimis stimulent, neque dantur hoc morbo ægris, neque data prodessent.

LXXVIII. *EXPECTORANTIA*,—strictiùs sic dicta, sive *stimulantia* sive *demulcentia*, *cynanche tracheali* laborantibus nihil ferme opitulantur. Quocirca, nostris temporibus, iis rarissimè subvenitur.

subvenitur. Oleosa tamen quædam nonnihil prodesse dicuntur.

LXXIX. *VIRIUM REDINTEGRATIO.*—Morbo ad sanitatem prosperè perducto, opus est quamprimum reficere vires, quas non morbus modò, sed ipsa quoque curatio, plurimùm frangerint.

LXXX. Hoc consilio, efficacissima sunt, *cinchonæ* cortex; præparata quædam e ferro; diæta nutriens, levis, et concoctu facilis, neque tamen nimis stimulans; aër salubris; exercitatio levis; vestitus, qualis halitum percutem evocet. Interea verò vitandum frigus est, et omnia, quibus denuo excitetur morbus.

LXXXI. Si quando omnia, quæ memoravimus, medicamenta et remedia fefellerint, atque deploratus æger in eo sit, ut suffocetur; nonnulli, ut ultimum remedium, proponunt, aspe-

ram arteriam, infra *laryngem*, perforandam esse sic, ut, per fistulam immissam, æger animam reciprocet. Verùm, etiamsi, in extremo discrimine, omnia experiri, antequam de ægri salute prorsùs desperetur, liceat; tamen timeo, ut, asperam arteriam perforando, noster æger miserandus ex orci faucibus eripi possit. Namque, foramine factò, vix membrana spuria, quæ internam asperæ arteriæ investiat faciem, nedum effusus humor, si quis in membranam nondum concreverit, potest extrahi; quare infectâ, quid, obsecro, valebit foramen?

FINIS.

